

mus, quosque in oculis tulerat. Nec segnius Angelopolitani doloris argumenta dedere, civem suum ornatissimum, ut par erat, luctuosissimè prosequentes. Edidit habitas à se Romano sermone, quas subnectimus Orationes his titulis.

Funebris declamatio in parentatione P. R. M. A. pijs manibus Illm. D. D. D. Joannis Cano Episcopi Iucaransis. Mexici, 1695 in quarto.

Regia parentatio exorans pios matres Serenissima Mariae Aloysie Gabrielle de Emmanuele & Sabaudia, Hispaniarum Regina desiderata. Mexici, Litteris H. V. Michaelis de Ribera 1715 in quarto. Extat in Libro, cui titulus: Floræ plantus, una cum alijs Regij funeris monumentis Mexicis.

Parentalis declamatio in Regio luctuosissimo funere Ludovici Ferdinandi piissimi Regis Hispani hujusce nominis primi: ante ortum & post obitum in tenera aetate desiderati. Mexici, ex Calchographia Josephi Bernardi de Hogal 1725 in 4. Habetur in Libro Stellarum plantus inscripto, qui Opuscula exhibet omnia ad prosequendum amantissimi Regis funus in Cathedrali Ecclesiâ Mexicâ recitata scriptaque. Recusè sunt mox dictæ Orationes uno Volumine operâ D. Didaci Antonij Bermudez de Castro Regij ac Publicij Notarij & Scribe, Illm. Authoris cognati: Angelopoli ex

Typographia V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

Hispano sermone edidit à se habitam Manilæ Concionem de S. Ignacio de Loiola hoc nomine:

Charitas absque exemplo, Magnus, in cunctisque mirabilis S. Ignacius de Loiola Societatis Jesu Fundator. Manilæ in Typographia D. Sebastiani Lopez Sabino 1729 in quarto. Extat in Collect. nostris tom. 7 prodijtque nuncupata Illm. D. Decano & Capitulo Ecclesiæ Mexicæ à P. Didaco de Orazo Societatis JESU Collegij Manilensis Rectore.

Ex ineditis ejus Academici Libri hæc nobis offerunt.

Commentaria in Titulum de Exceptionibus, extra, libro secundo.

Commentaria in Titulum de Probationibus, extra, eodem libro.

Commentaria in Titulum de Pæctis, lib. 6.

Commentaria in Titulum de Ordine cognitionum.

Commentaria in Titulum de Rescriptis in 6.

Commentaria in Titulum de Consuetudine in 6.

Commentaria in Titulum de Testamentis.

Commentaria in Titulum de Judicijs in 6.

Commentaria in Titulum 14 de Officio & potestate Judicis, &c.

Commentaria in Titulum de Præsumptionibus lib. 2.

Commentaria in Titulum de Appellationibus eodem lib.

Com-

Commentaria in Titulum de Sententiâ & re judicata.

Quæ recentita sunt Commentaria à multis Authoris Discipulis custodita, signatim fuisse penes D. Joannem de Imaz Esquer, vel certè pleraque, ab ipso accepimus, dolente de amissis charissimis sibi Voluminibus, quæ commodata Sodali cuidam, quo sint in præsentiarum loco divina re haud potest.

Scriptit præterea maternâ linguâ

Allegationes in Jure multas & varias.

Consultationes diversorum argumentorum.

Latio verò sermone

Prælectiones & Orationes.

Quas ut certum est conscripsisse plures & vernantissimas, sic incertum ubinam inveniantur, an verò penitus intercederint.

Meminit ejus P. Julianus Guertierz Davila in Monumentis Historicis Congregationis Oraztorij Mexicanaensis part. 1. pag. 35 n. 77 & part. 3 pag. 92 n. 232.

Item P. Lucas del Rincon in præcitato Floræ plantu fol. 46 & 47, & D. Josephus de Villeras in citato itidem Plantu stellarum pag. 107 & 108. Memoratus autem supra D. Didacus Antonius Bermudez de Castro ejus edidit Parentationem funebrem pagg. 112. Illm. acta viri insinuauit laudantemque. Angelopoli, litteris V. Michaelis de Ortega anno 1731 in quarto.

662 D. CAROLUS CELEDONIUS VELASQUEZ, Natione Mexicanus & Patria, Collegij Tridentini Metropolitanæ Ecclesiæ nostræ à S. Paulo & Purissima Conceptione nuncupati, alumnus, Grammaticam inibi, Rhetoricam, Philosophiamque coluit, atque Academicâ ornatus laureâ Theologiæ se dedit, cujus itidem gradum tulit. Apud memorati Gymnasia Collegij Eloquentiam professus est, semelque & iterum Philosophiæ Cathedram moderatus sexennium in ea docendâ posuit. Ubi Rectoris vices egerat, Rector ipse varijs datus Patochijs fuit, quas, prævio candidatorum concursu, tenuit perpetuo titulo, primùm ei præfectus quæ Zumpahuacam audit, post Xaltocam dictâ, atque in præfenti de Capuluac nominatè, in quibus suas strenuè partes implevit, non in idiomate Mexicano minus peritus quam in gravioribus disciplinis. Scripsit

Cursum Philosophiæ juxta PP. Thomistarum systema elucubratum, cujus sunt penes Discipulos exemplaria.

Prælectiones itidem & Conciones varias quas Mss habet.

663 D. CAROLUS LOPEZ TORRITAS, Natione Mexicanus, in Angelopolitana, ut remur, Diocesi ortus, gradibus Magistris in Philosophiâ & Doctoratus in Jure Canonico insignis fuit apud Academiam Mexicam, cujus inter numeratus Antecessores,

CCCCC

CCCCC

pc-

periculo multoties in palestrâ sapientum facto, multa que cum candidatis optimis contentione, Moderator suggestus pro Clementinis interpretandis fuit institutus. Hac propterea se abdicavit Provinciâ, quod Angelopolim ejusque Parochias petierit, & à S. JOSEPHO nuncupatâ, quæ in eadem Urbe satis clara est, præfectus fuerit, atque Ecclesiastici titulo Judicis cohonestatus pro Testamentorum Operumque piorum causis decernendis & accurandis. Scripsit prout ex Annalibus novimus Academicis

Commentarium in Clementinas de Rescriptis.

Commentaria in Clementinas de Electione & electi potestate.

Meminit ejus Plaza in Chronicis Universitatis lib. 5. cap. 35. n. marginali 535.

664 FR. CAROLUS MENA, Natione Mexicanus, Vallisoleri Jucatanensium fortitus cunabula, Franciscanis Patribus de Observantia Seraphici Instituti ibidem florentis se addixit. Ut erat sacris litteris doctus, & in gentis idiomate vernaculo peritus ac elegans, Indis voce profuturus scriptisque, eorum linguâ usus condidit

Sermones & Opuscula varia,
Quæ pluris facta sunt à Parochis cæterisque Sacrorum ministris, ut testis est Jucarani Chronographus P.F. Didacus Lopez Cogolludo lib. 10. cap. 20. pag. 604. quo loci memoriæ com-

mendat, Nostrum morti proximum, dum Guardianum agebat Cænobij de Mococho, Sodalem monuisse, ut Encyclicas coram se litteras exararet obitus sui nuntias, statim atque ipse spiraret, datis unice superadditis, cum Provinciam omnem mittendas. Ejus item memoriam habet D. Antonius de Leon Pinelo, in Epit. Bibliot. Occident. novil. Edit. col. 727.

665 D. CAROLUS DE SI-
GUENZA ET GONGORA, Natione Mexicanus & Patria, si quis ullus, benemeritus de ipsa, Humanioribus litteris apprime eruditus apud Societatis JESU Gymnasia, adeo excelluit in eis, ut 17 ætatis anno heroicum Poema *Ver Indicum* nuncupatum in laudem floridissimæ Guadalupix Imaginis Mexicanæ Deigenitricis Virginis composuerit, quod adultior typis commisit, etiamnumque vernæ hispani carminis elegantiâ. Philosophiâ altè ibidem imbutus, instructusque egregiè Theologiâ, postmodum ab Mexicæ Universitatis Aulis Jus Canonicum avidissimè hausit, atque his animi dotibus, Historiæ adjecit Criticæque culturam, & in Mathematicis disciplinis eruditionem profectò eximiam, ab celebrioribus ejusdem Professoribus sua ætate in Europa florentibus deincepsque magni habitam. Tantum certè sibi comparaverat nomen, ut (quod à gravissimis viris suis æqualibus

bus jam pridem accepimus) Christianissimus Galliarum Rex Ludovicus XIV Eruditorum hominum æstimator eximius, suorum ipsum litteris invitaverit, se ut in Regna conferret Gallica doctissimis florentissima Professoribus omnium Scientiarum, auctumque in opibus & honoribus. Justis ipse de causis in Patria detentus, decori ei & ornamento futurus eximio, ab Carolo II Catholico nostro Hispaniarum Rege atque Indiarum potentissimo Imperatore Regius Cosmographus fuit institutus, multisque dignatus schedis.

666 Mathematicas in Universitate nostra totos 20 annos professus, Emeriti tandem honorem tulit, atque ab eruditis è Cathedra discipulis multis hautam doctrinam in posteros suam propagavit. Hæc inter, Academicis alijs negotijs operam impertivit: nam à ratiocinationis institutus fuit, cui diu muneri incubuit: & Trimum Parthenicum edidit, eruditum ac pulcherrimum Librum de Purissima Deiparente ab originario crimine immuni, egregijs pictatis juxta & ingenij signis ab Schola Mexicanensi solennissimè celebrata: & Chronographus sponte sua, Academia ductus amore & Patriæ, oblati; quamvis multis distentus curis, captam ductamque ad dimidium Historiam, imperfectam, quod valde est dolendum, reliquerit.

667 Porro Americæ cruen-

dis antiquitatibus deditus, priscorum monumenta Indorum diligentissimè conquisita, evoluit, & quæ erat justissimâ Criticâ, Historiarumque accuratâ & multâ lectione, revocavit ad trutinam, atque in Libros à se conditos varios multosque traduxit, quibus abdita & offusa caligine in Solem tradidit & meridiem. His conficiendis Idioma imbiberat Mexicanum, & quæ OEdipo eget ingeniosissimo, Scientiam penitissimè calluit Hieroglyphicorum, Characterum, & Imaginum, quæ Septentrionalis America incolæ litteratum vice utebantur, resque ab usque ipsarum primâ in hunc Orbem traiectione celebriores memoriæ prodiderant. Eisdem usi Symbolis, ut fuerant Arithmeticæ peritissimi & Astronomiæ, Circulos decalæo planè artificio formaverant, quorû singulis singula ob oculos secula dabant, & quæ in eis cumque memoriâ digna evenerant, seu cœlestia essent, Solis Lunæque defectiones & Cometes, seu politica & militaria, verbo, insignia quæque graphicè appositis figuris signabant.

668 Innumeros & pulcherrimos istiusmodi Libros Indorum, Mappas vulgo dictos, tum convolutos in orbem, tum aliter fabrefactos, jam inde à Mexicanorum per Hispanos expugnatione, Religiosissimi viri zelo quidem egregio ducti, pari tamen ignorantia rerum quas ille chartæ exhiberent, diris flammisque devolo-

deverunt, veriti superstitionibus sceleris, suspicatique Idola esse Imagines illas quibus Volumina consultiſſimè & ad res natas scripta fuerant. Hinc procedente tempore rariore fuerit id genus Libri superstites aliquorum diligentia Indorum clam ipsos tenentium, ut qui noscent immunes illos esse labis, nec à Catholicâ, quam susceperant, Religione profcriptas esse Historias gentilium, Annales, Commentaria, Adversariaque, ut à callentioribus Christianis acceptant & Præbyteris. In tanta verò illiusmodi raritate monumentorum, non nisi immanibus sumptibus incredibili que diligentia Carolus multa coarcevit Volumina, pretiosioraque nactus fuit dono inelyti in paucis D. Joannis de Alva Regio Tezcucanorum sanguine geniti Indi, qui accepta à majoribus diligentissimè custodierat, atque ut erat eruditus, callebat exactè, consuetudineque ducta cum Noſtro, hunc moriens testamenti voluit executorem, & charissimarum sibi chartarum atque insignium Librorum legatarium.

669 Nec verò Siguenza his alijsque exquisitissimis avarè fruebatur, quin imò libens cum eruditis, etiam exteris, communicabat, ut testis est D. Joannes Franciscus Gemellius Carerius, Italus, qui quo tempore girum peragens Orbis, Mexici egit, rarissima ab eo gentis accepit, quæ Volumine suo sexto explicatè trā-

dit, haud ingrata animi adversus Carolum significatione. Pari in Observationibus Mathematicis suis manifestandis liberalitate erat, quæ in causa fuit, ut ægrè tulerit, haud urbanè tractatum esse à P. Eusebio Franciscus Kino Societatis JESU à Provincia Babariâ, de quo conquestus est in Libris sua Astronomica respondendi ergo eidem elucubrata.

670 Certè tanta erat dives eruditione, varia, amoenissimâq; scribendi promptitudine, stylo quidem pulchro juxtaque gravi, facili ut negotio Libros multos condiderit, longèque plurimos exarasset, si aut pro typographicis sumptibus facultates ei fuissent, aut, qui has sufficerent, Mecenates. Favebant illi quidem Pro-Reges, Auditoresque Regij, atque unâ cum Archiepiscopo Ecclesiastici Ordinis viri gravissimj, quibus tamen pro modestia sua ipse ad id negotij onera nunquam fuit usus, vixque non invitus Amicis Opuscula deposcentibus edenda concessit, quæ in scrinijs abdiderat, ut is testatur qui Libram Astronomicam typis commisit arte suo D. Sebastianus de Guzman & Cordova, Regiâ insignis Mexicanâ Procuratore, in ejus Libri proœmio. Cæterâ Author cupidus publicandi raras admodum à se crutas Americanas Antiquitates, egrè ferebat elucubrationes illas quæ diu nimis quæ insudaverat, sin-

gu-

gulares, secum iri sepultas, ut in Paradyſi Occidentalis Proœmio lamentabatur.

671 Antiquis vindicandis vigilabat & asserendis schedis impendio nequiquam contemnendo: quam obrem functissimâ nocte 8 Junij 1692 conflagentibus Ædibus ijs Mexicis, in quibus publica Urbis tabularia custodiebantur, toraque Civitate susque deque versa à tumultuantium Indorum copiâ effrænataque indignatione, nil ipse veritus, illuc se cum propinquis contulit, atque multâ stipe erogata, cum operis egit, ut admotis scalis fenestras ascenderent, pluresque ab incendio Libros eximerent, quos secum detulit, dolens tamen pleurosque vindicari potuisse minime, & demum in cineres evalisse.

672 Amori adversus litteras, quem innumis eximio, Christianæ prætulit vitæ studium, eâ ut moratissimum decet Præbyterum ad extremum piè & honestissimè ductâ, Capellanum agens annos 18 Hospitalis domus de Amore Dei, quo in munere suam ipse Dei & proximi dilectionem, cæteramque virtutem palam exposuit. Confessiones excipiebat, eruditè concionabatur, æstuatque zelo animarum, Indorum potissimum, quorum delectatus consuetudine pro imbibendis abstrusioribus gentis Historijs, consulturus saluti, ab imis evelli radicibus ebrietatem vellet, plurimorum causam malorum,

Dddd

quæ ab hausto regionis vino, Pulque dicto, promanant, cæterâ ad virtutem aptissimos homines miserè corrupente, dirisque propterea devoto. His percharus nominibus Illmò. Archiepiscopo Mexicano V. D. D. Francisco de Aguiar & Seixas, elemosynis à se publicè erogandis præfectus fuit, quas ille ordinatè ad Valentinarij atrium foemini pannosis catervatim accurrentibus distribuebat. Judicibus item Fidei gratissimus, cum pro Librorum revisione institutus, tum etiam ad gravissima alia admotus negotia, strenuam commissis sibi navabat operam.

673 Adhæc Excmi. Comitris de Galves D. D. Gasparis de Sandoval Mexicci Pro-Regis Decreto 12 Januarij 1693 eximiam ejus in Mathematicis omnibus peritiam facientis maximi, volentisque ejusdem uti operâ in gravissima expeditione Regis & publicæ causæ plurimum referente, jussus est comitem ut se daret spectatissimo Clasis Americanæ Præfecto D. D. Andrea de Pes in Sinum Mexicicum navigaturo, ejus explorandi describendique causâ. Rem latè narrat D. Gabriel de Cardenas, in Prolusione Chronologica ad Historiam Floridæ generalem decade 19 anno 1693 à pag. 308 quam summis nos labris attingamus par est. Martij igitur 25 à Vera Crucis Portu, in navi à Guadalupia virgine nominata, solventes, in Ita-

tio-

tionem demum à S. Maria de Galve ex tunc dictam, antea vulgo que Panzacola, ubi accessere, undique ipsam Nolter terra mari que lustravit, Promontoria dextrinxit nominibus, è quæis unum ab eo Siguenza dici socij voluere, quod hodieque audit, extractâ ibi munitissimâ Arce & trecentorum collocato præsidio militum. Recessus aperuit, Flumina, Fluvia que navigavit, Terras circumspexit conquiritendorum Indorum ergo, ipsarumque noticiam hauriendi, quæis agnomina dedit, non nulla inde traducta quod similes Mexicanis aliquot locis sunt visæ, ut qui Iztacalco, amoenissimo propè Mexicum Pago linte multiplici quotidie frequentati, & qui Baratillo in Urbis Foro nuncupatus fuit ab hæterogeneis multis nullius pretij rebus inibi venditatis. Sacrum ut exererat in terra Vexillum Crucis, alijsque Christianæ pietatis officijs operam dederat, tabellæ suæ geographicæ insititit conferibendæ. Tum ultra progressus comitatusque Præfecto & naucleris, Mòvilam explorandam petiuit, insuper insigne Flumen Misissipi dictum aggressi fuere, quod porro immensâ deciduorum multitudine arborum, obicibusque alijs detenti, dimetiri, ut in votis habebant, prætermisserunt: De quo verba fecerat in Tropheo Hispanæ iustitiæ pag. 75 P. Henricus Capuccinum Gallû propterea carpens, quod in Luisiana

sua scripserit terras illas fluvium que Misissipi, aliàs de la Palizada, Hispanos latuisse, qui tamen jam diu in Historias hæc redegerant à se perlustrata.

674 Ea Carolus defunctus Provinciâ, Mexicum repetijt solitaque exercitia, atque Historicam, quam inferius dabimus, Descriptionem mox à se visæ Panzacolæ & Movilæ appositisimè elucubravit. Tandem molestatam per annum ægritudinem ita tulit, ut mirantibus Medicis, acerbos inter dolores, Ecclesiastici pensum officij solverit, viribusque defectus, ad isthæc Religionis nervos intenderit. Frequentissimè animum expiabat confessione, celestij reficiebat Synaxi. Multa pro se fieri sacra iussit, stipe constitutâ, eo quo agrorabat tempore, pluraque iridem agenda post mortem disposuit. Infirmis ut defunctus auxilio esset & Medicis, intima corporis sui ope Chirurgi secti, explorari atque accuratissimè dispici voluit, è quæis grandior avulsus fuit calculus lias que dolorum. Penes vitæ terminam constitutus, Societatem JESU, quam retrò coluerat, intimèque dilexerat, nuncupatis votis amplexatus est.

675 Postremas pijsimè tabulas condidit, facultates, nec opulentas quidem, nec verò minimas, non in consanguineos tantum pauperes, sed in alios & pia loca distribui iubens, pro ut ejus, que mox nominabimus, nepos fide-

delissimè est executus statim ab obitu avûculi, qui excesserat die 2 Augusti anno 1700, ætatis suæ 55. Funus ejus actum solennissimè fuit in Collegio Maximo Societatis JESU, assistente Doctorum Confessu, & gravissimâ multorum coronâ, ejusque corpus in Sacello à Purissima nuncupato repositum. Scripta ejus plurima fuere, quibus utinam vel ineditis frui liceret dolentibus nobis pleraque aut latere in alicujus puteo Democriti, aut, quod deterius erit longè, irreparabili intercidisse literariæ Republicæ damno. Edita recensimus primùm, quibus Manuscriptorum series accedet. Sunt illa quidem Poetica, Symbolica, Panegyrica, Philosophica, Mathematica, Historica, Concionatoria, Critica. Hispano sermone typis commisit

Ver Indicum, Poema sacrum Epicum, ideam Guadalupe Mexicæ Deiparentis Virginis Imaginis, è floribus miraculo jam pridem depictæ, Mexici, anno 1668 in octavo. Rursusque apud V. Bernardi Calderon 1680 in quarto. Vernantissimum sane, Opusculum qui legit, nemo non dicit, mirarique subit Authoris ingenium floridissimè numeris ludens ante 18 ætatis annum, atque suaveolentibus flosculus præcocius & multigenis, proludens edendis mox à se opimis sapiendissimisque eruditionis fructibus. Extat tom. 58 collect. nostræ.

Decora Queretari in novâ Eccl-

asticorum sub titulo Sanctissimæ Mariæ de Guadalupe ibidem erectâ Congregatione, Temploque magnifico à fundamentis ejus nomine condito, sumptibus & pietate D. Joannis Caballero & Ocio Presbyteri. Mexici mox dictis litteris & anno in quarto. Opusculum est Historicum Panegyricumque, amoenissimâ narratione Urbem Queretaro nuncupatam in Mexicanâ Diocesi sitam amplissimam ornatissimamque describens, atque excitatum ibidem Templum Guadalupanæ Virginis nomine structuræque augustum ob oculos ponens, & Clericorum illustri admodum Sodalitij frequentata inibi instituta graphicè pingens, unâ cum habitis solennissimâ in Dedicatione sacris festis, publicisque spectaculis & poeticâ Concertatione.

Politicarum Theatrum Virtutum Principem constituentium, atque è principis erutarum Mexicanis Imperatoribus, quorum effigies ornatu fuere Triumphali fornici à Nobilissima Regique obsequentissima Imperiali Civitate Mexicæ erecti, excipiendi ergo Pro-Regem suum Excelsum Comitem de Paredes, Marchionem de la Laguna, &c. D. D. Thomam Antonium Enriquez de la Zerda, &c. Mexici, ex eadem Calchographia anno 1680 in quarto. Liber hic, symbolicus juxta & historicus ac poeticus, eximiam hominis prodit eruditionem, cum à Romanis, cæterisque Scriptoribus haustam, tum abstrusorem lon-